



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. III. Quinam sint capaces juris patronatûs?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

ex consecratione facta, &c. præsumpto, & animo dotandi, fundandi, aut ædificandi Ecclesiam, quod si enim Ecclesia talis per partes tantum reparatur, aut dotatio à benefactoribus augeatur, & melioretur, vel animus dotandi, fundandi, aut Ecclesiam ædificandi defuerit, sed tantum beneficiendi, neque prior patronus jus patronatus amittit, neque, qui ita beneficit Ecclesie, alio nomine venit, quam benefactoris, cui jus patronatus non competit. Præter dictos tres modos, quibus jus patronatus de jure communi acquiritur, potest illud etiam obtineri per privilegium, non quidem ab Episcopo, sed à Summo Pontifice concessum, prout etiam colligitur ex Tridentino sess. 25. cap. 9. De reform. & per legitimam præscriptionem.

§. III.

Quinam sint capaces juris patronatus?

Patroni esse possunt non tantum Clerici, sed etiam Laici *v. Quoniam 3. h. i.* non tantum viri, sed etiam femine *v. ult. De concess. præbend.* (ita tamen, ut si jus præsentandi annexum est bonis ab uxore in dotem marito datis, præsentatio ad maritum pertineat, cum fructus rerum dotalium, qualis est præsentatio, ad maritum pertineant) non tantum puberes, sed etiam impuberes (ita tamen, ut si pupillus adhuc sit infans, infra septennium, non ipse, sed tutor præsentare debeat; si verò sit major septem annis, infra annos tamen pubertatis, præsentatio fieri debeat cum tutoris au-

thoritate, non quidem necessitate) non enim præsentatio ab impubere tali fieri potest, etiam sine tutoris auctoritate, sed præferenda est, quamvis à tutore non præsentetur) sed ex honestate, & dignitate, cum tutor detur ad actiones etiam pupilli regendas; si autem pubes quidem sit, sed minor tamen viginti quinque annis, & curatorem habeat, nihil citius præsentationem poterit curator facere, nisi à mandato minoris, cum curator tantum detur ad bona temporalia minoris administranda; non tantum legitime, sed etiam spurii, & alii illegitimi, si jura universaliter loquantur, de dote fundante, aut ædificante Ecclesiam. Pagani tamen, Iudei, & alij infideles, & hæretici non sunt capax juris patronatus, prout Glossa recepta docet, in *ca. Frigentius 27. verbo: Qui Christiani* *caus. 16. q. 7.* cum enim jus patronatus sit jus Ecclesiasticum, consequenter illi qui extra Ecclesiam sunt, competere non potest; & quamvis majore communicatione ligatus, & vitandus, non amittat jus patronatus, quod inter communicationem habuit, ejus tamen usus & exercitio privatur, usque dum abbas vatur, cum non liceat ei communicare.

